



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**VRBIS|| HIEROSOLIMÆ|| QVEMADMODVM EA CHRISTI||  
tempore floruit, & suburbanorum eius brevis.||  
descriptio.||**

**Adrichem, Christiaan van  
Coloniae Agrippinae, 1585**

**VD16 A 298**

Loci Filiae Sion

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64394)

112.

**T**HEATRUM, quod in hemicycli speciem ab Herode Ascalonita Iudeorum Rege iuxta Palatium Machabeorum magno sumptu extructum erat: insculptis ei per circuitum titulis, trophæis, & victorijs Augusti Cæsaris, auro argentoq; collucentibus. vbi digniores quidem in gradibus, per circuitum factis, sedentes: reliqui verò in ea stantes; histriones, mimos, musicos, & thymelicos in scena comœdias, tragœdias, & aliosque ludos agentes, spectabant.

*Iose. 15. ant. 19. & 20. ant. 115.*

113.

**T**HRONVS SALOMONIS. Solium erat prægrande, eburneum. fuluo vestitum auro, quod tribunalis instar in summitate cælatum & rotundum, sex gradibus, in quorum extremitatibus duodecim leones impositi erant, ascendebatur. In quo sedebat Rex Salomon cum populi lites ac controversias decernebat, capitalia iudicia & sententias proferebat, ac le-

*3. Reg. 10. c. 2. Par. 9. e. Ios. 8. ant. 5.*

*Liran. in 3  
Reg. 7. a.*

ges iuraque dabat: tùm etiam quando magnificentissimè suam gloriam, delitias, & diuitias ostendebat, ac fide libus ministris suis præmia reddebat.

## II 4.

*2. Par. 9. c.  
Liran. in 3.  
Reg. 10. b.*

**T**RANSITVS, quem fecit Salomon de lignis thynis, ad ascendendum è Palatio suo in templum,

## II 5.

*Ioan. 19. c.*

**T**RIBVNAL. locus erat ante domum Pilati æditus & iudicio accommodatus, vbi Romani Præsides sententiam ferre solebant, qui Græcè LITHOSTROTOS, id est, lapidibus stratus; Hebraicè autem GABATHA dicebatur eò quòd eminentes esset & excelsus.

*Matt. 27. c.*

*Mar. 15. b.*

*Luc. 23. d.*

*Ioan. 19. a. c.*

*Pasc. d. 206.*

Sedens in hoc tribunali Pilatus, & instantem Iesum absoluere cupiens, accepta aqua, manus coram populo lauit, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius. At verò vniuerso populo clamante:

*Tolle, tolle, crucifige eum; sanguis eius super nos, & super filios nostros; & prætereà*

*tereà*

LOCI FILIAE SION.

121

terea quòd se Regem faciendo, Cæsaris læsa obijceretur Maiestas, hac verborum forma, prout ex antiquis annalibus fideliter exscriptum inuenimus Christum ad crucis supplicium condemnauit: *Iesum Nazarenum subuersorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Mesiam, vt maiorum suæ gentis testimonio probatum est, inducite ad communis supplicij locum: & cum ludibrio Regiæ Maiestatis in medio duorum latronum cruci affigite. I licitor, expedi cruces.* Qua prolata sententia, eum militibus suis crucifigendum tradidit, Qui Iesum ob infirmitas pænas oï specie ac decore priuatũ, & leproso magis quàm sibi similem vt à populo ex noto habitu suo agnosceretur proprijs eum vestib⁹ rursus induerunt, ac crucis suæ baiulantem patibulum, duobus cum latronibus per Portam Iudiciariam in monte Caluarie crucifigendum eduxerunt. In hoc etiam tribunali consistens Pilatus in suborta seditione, ob impendendos aquæ ductui sacros tēpli thesauros, qui Corban dicebantur, militibus suis clam sub populari habitu armatis, signum dedit, vt gladijs quidē

*Salign. to. 8  
cap. 7.*

*Isai. 53. 4.*

*Iosep. 18. 21.  
5. & 2. bell.  
8. Euseb. 2.  
hist. eccl. 6.  
Nicepho. 2.  
hist. eccl. 10.*

H 5 non

## LOCI FILIAE SION

non vterentur, sed fustibus in acclamantes quosque Iudæos seuirét: quorum plagis multi occisi, & plures sunt fauciati, plurimi verò etiam è suis inrer tumultum conculcati & protriti interierunt.

*Ios. 2. bell.  
14. 15.*

Eodem pro tribunali postea Florus præses ex Iudæis multos nobilium, & equistris ordinis viros flagellis verberibusque fecit laniari, ac in cruces suffigi: qui & alias multas per urbem cædes fecit, nulli parcens, nec paruulis nec mulieribus, vel lactantibus. Quæ vindictæ sanguinis Christi quædam initia fuerunt.

## 116.

*Iosep. 13. ãt.  
18. & 1. bell.  
3.*

**T**VRRIS STRATONIS, Græcè Pyrgus Stratonis dicta, inter Antoniam arcem & templum subterraneus & obscurus transitus erat. vbi Antigonus à satellitibus fratris sui occisus est.

## 117.

*Sophon. 1. c.  
Hier. ibid.  
Iose. 14. ant.  
8. & 15. ãt.  
14.*

**V**ALLIS CEDRON, lata, profunda, & tenebrosa, quæ in modum fossæ templum circumibat. ac quòd in mortarij simi.

## LOCI FILIAE SION

123

similitudinem disposita esset, Hebraicè Machtes, Latinè autem Pila vocabatur, hæc tantè erat profunditatis, vt de templi tecto ad imum eius despicientium oculi, non absque vertigine capitis, caligarent. in hac mercatores & ois generis negotiatores habitabant. In hæc vallem cum Iacobus frater Domini, primus Hierosolymorum episcopus in pinna templi coram omni populo Iesum Dei filium ipso festo Paschæ profiteretur, Anani Sadducæi Pontificis iussu præcipitatus est & confractis cruribus, desuper quoque à scribis & Phariseis lapidatus, tandem fullonis funis fuste in cerebrum percussus, interiit: ibique iuxta templum sepultus est. vbi monumentum eius multis sæculis mansit. Ob cuius cædem Iosephus Diuina vltione Hierosolymam euersam esse æstimat.

Item 1. be. 5  
& 6. bell. 6.  
7. & 7. & 6

Iose. 20. ant.  
16.

Euseb. 2. histor. eccl. 1.  
& 23.

Hiero. tom. 1. Epist. 53.  
in Catal.

script. Ecclesiastic.

Nice. 2. hist. eccl. 38.

## 118.

**VIA CRUCIS**, quæ Christus in tribunali cruci adiudicatus, acerrimis ac cruentis gressibus ad montem Caluarix iuit. Incipiens enim à Palatio

Hanc viam  
D. Petrus.

Potens, &  
M. Mat-  
thæus

Steenberch

*Licentiat us* Palatio Pilati per viginti sex gressus  
*Theologia*, qui faciunt sexaginta quinque pedes,  
*& pastor in* ad locum processit, vbi Crux ei impo-  
*Londersele,* sita est. Vnde tota spectante vrbe  
*olim Hiero-* super faucios humeros suam baiulans  
*solymadime* crucem, versus Caurum seu Corum  
*si sunt: & iu-* per octoginta gressus, hoc est, ducen-  
*xta eandem* tos pedes ad locum vbi primò cum  
*formam ac* cruce cecidisse traditur, progressus  
*mensuram* est. Inde statim per sexaginta gres-  
*disposuerunt* sus & tres pedes, id est, centum  
*Caluarie vi-* quinquaginta tres pedes, ad locum  
*am Louanij,* vbi B. Maria cum Ioanne, filio suo  
*Mechlinia,* occurrit. Hinc autem per septua-  
*Viluordia,* ginta vnum gressus & sesquipedem,  
*& in alijs* siue centum septuaginta nouem pe-  
*Brabantia* des, ad quoddam triuium, vbi Simon  
*locis.* Cirenæus crucem post Iesum portare  
*Qua etiam* coactus est. Istinc porrò per cen-  
*diligentissi-* tum nonaginta vnum gressus & semi-  
*mè describi-* pedem, vel quadringentos septuagin-  
*tur in li. cu-* ta pedes, ad locum vbi ipsi Veronica  
*titulus est.* occurrit. Atque illinc per trecentos  
*Viacrucis,* triginta sex gressus & duos pedes, aliàs  
*per Petru* octingentos quadraginta duos pedes,  
*Calentinum* ad Portam iudiciariam, vbi rursus  
*edit.* cum cruce lapsus est. Deinde verò  
*Et præterea* ardua, saxosa, atque paulatim ascen-  
dente

LOCI FILIAE SION 125

dente via versus septentrionem pro-  
 cessit per trecentos quadraginta octo  
 gressus & duos pedes, seu, octingentos  
 septuaginta duos pedes, ad biuium  
 quoddam, vbi mulieres plorantes al-  
 locutus est. Ac isthinc continuò  
 per centum sexaginta vnum gres-  
 sus & sesquipedem, hoc est, qua-  
 dringentos & quatuor pedes, ad pe-  
 dem seu radicem, montis Caluariæ,  
 vbi vltimò cecidit. Dein vlteriùs  
 per octodecim gressus, aut quadra-  
 ginta quinque pedes, ad locum vbi  
 canifices ipsi vestes extraxerunt: vbi  
 & vino mirrhato felle mixto potatus  
 est. Dehinc per duodecim gressus  
 siue, triginta pedes, ad locum vbi cla-  
 uis cruci affixus est. Inde postre-  
 mò per quatuordecim gressus, id est,  
 triginta quinque pedes, ad locum vbi  
 de cruce pendens in foramine rupis  
 Caluariæ fixus est. Itaque à Palatio  
 Pilati, vsque ad locum vbi crux rupi  
 infixata fuit, sunt gressus mille trecenti  
 viginti & vnus, siue alia supputatio-  
 ne pedes ter mille trecenti & tres

à D. Io. Pa-  
 scha. S. Theo-  
 logia Docto-  
 re in peregr.  
 s. die 207.  
 208. 206 310  
 211 212 213  
 & 214.  
 Itē à D. Bet-  
 bleem pres-  
 byter. in de-  
 scription. lo-  
 coram passio-  
 nis Christi.

Hæc



Hæc linea quarta pedis pars est, cu

ius mentionem fecimus. Achuius quidem pedis, & Viæ crucis, atque infra (sub numero 207) Viæ captiuitatis mensuram (quam post multam sedulamque indaginem tandem inueni) idcirco hinc tam exacte posui, vt quilibet Christianus quouis in loco, etiã inter domesticos parietes in ambitu dom<sup>o</sup> aut horti sepius circueundo, vel iter replicando, possit similem sibi viam ordinare, aut in templo seu cubiculo mentis imaginatione similem concipere; & pio cordis affectu Christi passionem meditari. quod ipsi gratum, nobisque salutare esse, dubium non est: cum ad hoc tam sacra Scriptura, quam Sanctorum scripta nos crebro exhortentur.

## 119.

4: Reg: 11. c.

2. Pa. 23. c.

Iose: 9. ant.

7.

**V**IA INTROITVS EQVORVM, quæ inter Salomonis & Reginae Palatia erat. per quam Athalia Regina extra Portam aquarum siue equorum educta, in valle torrentis Cedron occisa est.

XYS.

120.

**X**YSTVS porticus, in modū pontis lapidei frequentibus arcibus supra plateam publicā ampla latitudine extructa, ac subdialibus inambulationibus ornata: per quam à Palatio Pilati in Antoniam arcem, & inde templum transferat. Ex hoc loco, tuto nimirum, Præsides Romani populum alloqui solebant. In quo stans Pilatus *IESVM* dire flagellatum, consputum, spineamque in capite gestantem coronam, ac purpureo indutum pallio, Principibus populoque Iudaico videndum exhibuit, dicens; *E C C E H O M O*: ut ita afflicto cōmisererentur. At illi inconditis vocibus clamabant. *Crucifige. crucifige eum.* Vbi adhuc visitur ac peregrinis ostenditur Arcus quidam lapideus, cū hac in scriptione; *Tolle, tolle, crucifige . . . . .*, propter antiquitatem cætera legi nequeunt. Ex eodem Xysto Agrippa rex perelegātem habuit orationem ad populum seditiosum, hortās eos ad obediendū Romanis. Frequentem huius Xysti Iosephus mentionem facit.

*Ioan. 19, a:*

*Breiden. 14*

*ul, a:*

*Sa: to: 8 c. 7*

*Pasc. d 204:*

*Ios 2. bell. 16*

*Item 5: bell:*

*9. & 7. bell:*

*6: & 13:*

HIC

## 121.

**H**IC Christo Crucem, longitu-  
dinis pedum quindecim, lati-  
tudinis verò octo, impositam  
esse, maiorum traditione acce-  
pimus.

*Pasc. d. 207.*

## 122.

**H**IC Christus primò cum cruce  
cecidisse traditur.

*Pasc. d. 207*

## 123.

**H**IC, vt ex veteri maiorum tra-  
ditione habetur, B. Marię cum  
Ioanne & pijs mulieribus ste-  
tit, Christo cum cruce præte-  
reunte. In cuius rei memoriam He-  
lena Imperatrix eodem in loco splen-  
didam B. Marię ecclesiam ædificauit:  
quæ nunc desolata cernitur. Porrò  
beata Virgo cum suis, cruenta filij sui  
vestigia ad crucem vsque secuta, post  
eius sepulturam hęc rediens, prima  
viam Crucis ex deuotione calcasse,  
piè

*Breid. 14.**Iul. a.**Sal. to 8. c. 6**Pasc. d. 207.**308.*

## LOCI FILIAE SION 129

piè creditur Vnde & Christianorum  
processiones ac crucis gressiones origi-  
nem habere videntur.

### 124.

**P**rogressus ad hoc triuium Chri-  
stus, nimirum cruce grauatus ceci-  
disse traditur. quam obrem mi-  
lites ac Iudæi metuentes ne ante  
crucifixionis executionem deficeret,  
apprehenderunt è rure venientem Si-  
monem quendam Cyrenæum, eum-  
que ad portandum crucem post Iesum  
coegerunt.

*Mat. 27. d.*

*Mat. 15. b.*

*Luc. 23. e.*

*Breiden. 14*

*Iul. a.*

*Sal. 10. 8.*

*ca. 7.*

*Pasc. d. 208.*

*& 209.*

## TERTIA PARS VRBIS.

### 125.



SECUNDA CI-  
VITAS. Hæc  
tertia vrbis pars  
est, quæ etiã mul-  
tas vias habebat an-  
gustas, cuius ali-  
quoties in sacra  
I Scriptu.

*4. Reg. 22. c.*

*2 Par. 34. e.*

*Sophon. 1. c.*

*Hieron in 2*

*Par. 34.*